



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

211. Feria 2. De Vitio inanis gloriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

rem, & diligentiam videre, & teporem erubescere. 10. Quærere adiutorium eorum, qui me à somno Acediæ excitent. 11. Non desistendum à cœpto, imò aliquid novi ad me vincendum adijcere. 12. Præsensissimum Acediæ remedium est, ubi callum obduxit, novam vitam incipere, ab omni tepore alienam. *Dixi, nunc cœpi.*

*Conf. 3.* Indicia victæ Acediæ sunt. 1. Peccata etiam levissima timere. 2. Debita professionis opera cum omni perfectione facere. 3. Agilem esse ad opera supererogationis. 4. Bene statuta diligenter observare. 5. Consortia tepidorum averfari. 6. Virtutem non ordinariam tantum, sed eximiam ac heroicam sectari. 7. Semper se ut tepidum, & ut muneri minimè satisficientem respicere. Sic *Adam*, ut ait Bernard. serm. de S. Andr. *non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem: ut illam consequar, hunc à Sanctissimo petam cum D. Aug. O amor, ô charitas, Deus meus, accende me!*

MEDITATIO CCXI.

Feria 2. Domin. 6. post Pentecosten.

*De Vitio inanis gloriæ.*

**A**udiam Psalmistam Psal. 3. dicentem. *U* quid diligitis vanitatem? & Apost. ad Gal. 5. *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi: quia*  
*causa*

378 *Feria 2. Domin. 6. post Pentecost.*  
*cassa infidelitatis Iudeorum inani gloria, in-*  
*quit D. Chrysoft. in cap. 5. Joann. Petam*  
*hoc vitium agnoscere, & evitare.*

*Conf. 1. Inanem gloriam esse immodera-*  
*tum appetitum laudis humanæ, oppositum*  
*appetitui moderato laudis, quo quis bono-*  
*rum operum approbationem à Deo quærit,*  
*cui soli placere studet; est autem laus ina-*  
*nis, & gloria vana, quam de re, quæ non est,*  
*aut de virtute, quàm non habes, aut de re-*  
*bus vanis, nec laude dignis, aut à solis ho-*  
*minibus, prout fallibiles sunt, aut propter*  
*seipsam, & non propter Dei gloriam, aut*  
*proximorum salutem captare contendis. In-*  
*greditur vana gloria mentem sub aliquo*  
*prætextu; quia oportet hominibus placere,*  
*ut eos Domino lucremur: deinde hoc depo-*  
*sito velo falsam dulcedinem obijcit, pul-*  
*chrumque, ac homine dignum laudari sua-*  
*det. 1. Ejus gradus est, opera bona, & studia*  
*spiritualia ad captandam hominum lauda-*  
*tionem inflectere. Ventum seminant, & tur-*  
*binem metunt. Osee 8. 2. Cùm inani gloriâ*  
*possessus ad honorem euectus, mirè sibi in*  
*eo placet, & ut nominatus sit, inepta multa*  
*præter ordinem facit, ædificat turrim Ba-*  
*bel. 3. Invitè personam authoritatis depone-*  
*re, & successorì cedere cum tristitia, aversio-*  
*ne ab illo, temerarijs de illo judiciis. 4. Post*  
*deje-*

dejectionem è dignitate labi in inobedientiam, contentiones, seminationes discordiarum.

*Conf. 2.* Remedia contra vitium inanis gloriæ esse: 1. Cum vana gloria non vera, sed vana sit, non est digna labore, & amore nostro. 2. Maxima mala hæc inducit, fur est, omnibus divitijs meritorum spolians. 3. Nihil ex nobis boni habemus, sed ex Deo; sicut autem ridiculi sunt pauperes, qui in alienis vestibus gloriantur, ita omnino stultum est de bonis à Deo datis tanquam tuis gloriari. 4. Communia solum oculis aliorum ostendenda, specialia bona libenter abscondenda. 5. Occasiones laudum humanarum ac gloriæ fugere, & vilioribus intendere. 6. Omnia, quæ cunque fecero, sive magna, sive parva actuali intentione propter divinam gloriam, & laudem exequi.

*Conf. 3.* Indicia vitæ inanis gloriæ esse: 1. Defectus proprios, dum ædificatio aliud non petit, detegere animosè. 2. Bona opera, quantum possibile, ab oculis abscondere. 3. Inter laudes erubescere, ac dolere. 4. Laudem non cupere, & prudenter sermonem de tuis laudibus abscondere. 5. In exercitijs ac ministerijs minùs plausibilibus libenter occupari. 6. Dum Deo places, hominum dicta & opiniones pro nihilo habere. 7. Si alios  
supra

380 *Feria 3. Domin. 6. post Pentecost.*

supra modum laudari audiens talem laudem non appetam, imò, ut vilem rideam. Accusabo me de lapsibus in hac materia commissis, eos detestando, quia merita bonorum operum vilissimo laudis humanæ pretio vendidi, & bona opera in peccata converti, apud Deum laude spoliatus, & labore: pugnabo contra hoc vitium, propter Dei gloriam bona inchoando, proseguendo, perficiendo, à Deo solo laudem expectando, coram hominibus bona opera, quantum licet, abscondendo. Petam lucem ad cognoscendam vilitatem humanæ laudis, & dignitatem gloriæ Dei.

MEDITATIO CCXII.

*Feria 3. Domin. 6. post Pentecost.*

*De vitio Superbia.*

**A**spiciam superbos à Deo dispersos, sicut ædificatores Babel, & humiliatos, quibus Deus specialiter resistit, Jacob. 4. Petam istud vitium agnoscere, & evitare.

*Conf. 1.* Superbiam esse immoderatum appetitum excellentiæ, seu altioris gradus, quam personæ congruat, si cum divinæ providentiæ lege, aut cum ipsius personæ meritis conferatur. Gradus ejus est 1. quo quis bonum, quod habet, à semetipso se habere præsumit, ut Nabuchodonosor Dan. 4. 2.

Quo